

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in  
Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. I. Yolandae Patria, Genus, Pueritia, & à teneris addictus Deo animus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

DE VITA  
VENERABILIS  
**YOLANDÆ**  
PRIORISSÆ  
MARIÆ VALLIS  
EX HERMANNO.

---

CAPUT PRIMUM.

*Yolandæ Patria, Genus, Pueritia, & à tene-  
ris addicctus Deo animus.*



Ram Provinciæ Luciliburgensis  
fluvium haud procul oppido S.  
Viti fons emittit. Suram illabi-  
tur , leucâ fermâ unâ suprà Ef-  
ternacum , ad vicum Walendor-  
tium. Ab ostio eius, ad verso flu-  
mine , trium leucarum intervallo , arx atque op-  
pidum est Vienna. Vetus admodum id loci no-  
men & iam Childeberti Regis , & D. Willibror-  
di temporibus relatum in Efternacenses tabulas.

A                      Regioni

2 De Vita Venerabilis Yolandæ.

Regioni circumsparsæ Comitiva dignitas sæculis abhinc amplius quinque; & claruere prisci Comites longâ serie, quoad in gentem Spanheimianam & Nassoviam enupsere filiæ hæredes. Iam Nassovij & [Auriaci sub Carolo II. Hispaniarum Rege tenent.]

E priscis Viennæ Comitibus fuit Henricus. Uxor ei Margarita, Petri Curtiniacensis, Imperatoris Constantinopolitani filia, Balduini Hannonij, Imperatoris item Constantinopolitani Soror, D. Ludovico Galliæ Regi sanguine iuncta. Erant Henrici opes suprà illustre genus magnæ. Ipse bello strenuus, animo mitis, moribus integer. Perinde Margarita virtutes claræ prosapiæ iunxerat, [ vel ex sacris Canonibus nostra exercitiae pietatis femina; sed & prudentia, inquit Gramayus. Mens tamen præfervida acres subinde excitabat in eâ iracundiæ impetus. Pietatem inter alia probat, quod cum Henrico conjuge Grandpratum, Namurenſis Provinciæ Cisterciense monasterium, ex Philippi fratribus, bello Albigensi mortui, voluntate condidit. Sed in primis fuit illustre pietatis eius exemplum, quod Henrico defuncto, velum inter Sanctimoniales MARIAE Vallis sumpsit, ut in loco referam. Prudentia in eo spectata, quod Namurensem Provinciam, quam suam esse contendebat, gravibus impetita bellis diu defendit. Iuncta primum fuerat Rudolpho Vxellodunensi: sed eo mortuo, nupsit Henrico Comiti, quem dixi, Viennensi. Ex hoc matri-

matrimonio prodiere liberi, Fridericus, mortuus  
antè parentes, & Philippus, gentis propagator.  
Henricus item ex Præposito ædis maximè Colo-  
niensis, Episcopus Trajectensis, & Petrus, Præ-  
positus primùm ad D. Martini Leodij, poste à  
Ordinis D. Dominici. Hæc proles mascula. Puel-  
læ fuerunt duæ: ignoti nominis una, altera Yo-  
landa, [nata sub annum M. CC. XXXI.] de cuius  
rebus gestis scribimus ex Hermanno; qui celsum  
Yolandæ genus commendaturus ait, compertum  
sibi, protulisse Episcopos, Comites, & regio mix-  
tos sanguini liberos, tantis virtutum ornamenti  
præditos, ut oratione non nisi longissimâ res ea  
comprehendi possit. [Nomen Yolandæ, ut facile  
creditu, ab Yolandâ aviâ maternâ, Petri Curti-  
niacensis, Imperatoris Constantinopolitani con-  
juge, Balduini eo nomine IV. Comitis Hanno-  
niæ, filiâ. ] Erat jam puella in amoribus Paren-  
tum, eorumque unæ deliciæ. Formæ elegantia  
excellens; indoles præclara, mores eximij, mens  
suprà ætatem. Sed inprimis spectata pietas, &  
propensus ad divina animus. Si quos cerneret fa-  
crtos Deo homines, ijs perlibenter adesse, cum  
ijs agere: ita se gerere, ut foris etiam emicaret, la-  
ttere jam tum in eius animo sanctioris vitæ desi-  
derium. Rogata aliquandò, velletne matrimonio  
viro jungi? Ego, inquit, viro? Ego homini mortali?  
Haud, sanè, unquam! Cui nubam, is mecum sit oportet,  
vivatque unà mecum semper. Hic amor meus; quo si viro  
stuar, valete omnes, valete viri. Ea puellæ vox haud-

A z

grata

grata pārentibus, quorum omne solatium, gau-  
diumque in Yolandā. Objurgabat mater. Sed  
perstebat illa in dicto, ausa etiam addere: abesse  
verbis suis fucum: perinde se loqui, atque animo  
sentiret. Nec sancte cogitatis erat vita dispar.  
Quidquid rectum bonumque, eò rapi magis,  
quam ferri. Opus quidem agere cum puellis, nec  
in eo singularis. Vigilare interim, comprecari,  
abstinere à cibo, sed velut experimento. Quin  
adèò, quod mirere, puella tenera & delicata se  
virgis cædere, aut alienā manu se cædi jubere.  
Perpetua ei comes erat puella. Hæc, si quando  
clam licebat, flagro in eam animadvertebat. Tales  
erant Yolandæ mores; ipsa interim omnium,  
quotquot eam cernebant, subigebat amore ani-  
mos.

## CAPUT II.

*Cum matre Namurum proficiscitur; Salsini  
inter Sanctimoniales suscipi ab Hymanā  
antistitā rogat. Sed passa repulsam, vi-  
tæ urbanae & hilari mores accommodat,  
usque ad annos nubiles. Parentes eius de-  
liberant de illius nuptijs.*

**F**uit, ut Margarita Namurum proficiscere-  
tur, ductā secum Yolandā. { Erat in Subur-  
bano nobile Virginum Cœnobium Ordinis D.  
Bernar-